MASTER
NEGATIVE
NO. 92-81127-12

AUTHOR:

REHBRONN, ENGELBERT

TITLE:

DE INTERPOLATIONIBUS QUAE FERUNTUR...

PLACE:

ROSTOCHII

DATE:

1875

Master Negative #

92-81127-12

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Rehbronn, Engelbert
De interpolationibus quae feruntur in Odysseae libro undecimo. Dissertatio inauguralis quam ... scripsit Engelbertus Rehbronn ... Rostochii, Boldt, 1875.
33 p. $21\frac{1}{2}$ cm.

Thesis, Rostock.
Volume of pamphlets

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35
REDUCTION RATIO: 11x
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 3-1-93
INITIALS Susan
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT





AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910

301/587-8202








Centimeter




Inches







MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.



DE INTERPOLATIONIBUS
QUAE FERUNTUR
IN ODYSSEÆ LIBRO UNDECIMO.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN ACADEMIA ROSTOCHIENSI

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CONSECUTUS

SCRIPSIT

ENGELBERTUS REHBRONN

MAGISTER GYMNASII CULMENSIS.

ROSTOCHII.

TYPIS EXPRESSIT CAROLUS BOLDT.

MDCCCLXXV.

Praefatio.

Multas interpolationes et in Iliade et in Odyssea inesse, cujus rei certissimum testimonium habemus et in doctis doctorum Alexandrinorum annotationibus et in accuratis virorum critices peritissimorum disquisitionibus, nemo hodie jam negare audeat. Ut autem cognoscamus, quomodo factum sit, ut interpolationes in carmina Homerica irreperent et in iis quasi inveterascerent, quum a proposito nostro non alienum sit, breviter rationem originis carminum quae nomine Homeri divulgabantur in memoriam nobis revocabimus. Apud Graecos ipsos illa carmina tanti aestimata sunt, ut etiam ex iis bona cum gratia inter diversas gentes controversiae componerentur atque omnibus erat persuasum, et Homerum ipsum vixisse eumque unum horum carminum fuisse auctorem, quem rhapsodum modo per omnes terras peregrinantem praedicarunt modo caecum fuisse fabulosae narrationi addiderunt. Nonnulli quidem grammatici, qui, quia omnes locos Homericos esse noluerunt, *οἱ χωρίζοντες*, appellabantur, dubitaverunt, numHomerus omnino vixerit et illi Alexandrini, quorum princeps erat Aristarchus, multos versus posterioribus demum temporibus factos esse intellexerunt, sed nemo contra communem sententiam de vita et scriptis Homeri per multa saecula ita stabilitam ut non iam pervelli posse videretur, existere ausus est. Primus Fr. Aug. Wolfius partim virorum doctorum ab antiqua sententia argumentis tam invictis quae confutari nequeant reduxit, partim pugnam in has res novas incitavit; ab altera enim parte praecipue vidimus certantes

Wolfium[1]) et Lachmanium, ab altera Naegelsbachium et Nitzschium, qui unitatem carminum Homericorum defenderunt. Sed iam audiamus argumenta Wolfii, quibus demonstrare studuit, Homerum nunquam fuisse et carmina, quae dicuntur Homerica, non esse unius viri, sed multorum rhapsodorum, a quibus per multa saecula recitata multisque modis immutata fuerint.

Firmissimum argumentum Wolfius[2]) inde duxit, quod Homeri temporibus ars scribendi nondum nota fuerit, nam verba *γράφειν* et *χαράσσειν* et similia esse ex numero factitiorum (*ὀνοματοπεποιημένων*) et habere proprie fodiendi sc. scalpendi significationem; tum quod digamma tempore carminum concipiendorum scriptum fuerit, id quod ex hiatibus cognosci possit, carmina mutata fuisse demonstravit. Optime de digammate disseruit Peters.[3]) Deinde cedi posse negat, unum hominem haec omnia singula persequi posse ita ut eleganti sermonis consuetudini et reliquis recte scribendi legibus non sint contraria; quartum argumentum erat, quod complura inter se pugnantia reperiantur, quae multos auctores prodant. Nunc autem ipse quomodo carmina Homerica orta sint, explicare studebo, qua in re saepius mihi cum Wolfio conveniet. Jam antiquissimis temporibus quum Jones politioris cultus participes esse coeperunt, populus ipse res a majoribus suis feliciter gestas cantabat. Tum rhapsodi exstiterunt, qui per omnes Graeciae et Asiae partes iter faciebant et ubique carmina recitabant, quo factum est, ut propter singulas Graecorum gentes carmina immutarent et heroes in quacunque erant regione celebratos decantarent; nam ut Wolfius ait, ars *ἀοιδῶν* tum non minus peculiaris fuit, quam fabri aut figuli, quam medici aut harioli, honorem autem publice privatimque habuit longe maximum". Idem

---

[1]) Prolegomena ad Homerum sive de operum Homericorum prisca et genuina forma variisque mutationibus et probabili ratione emendandi scripsit Fr. Aug. Wolfius, Halis Saxonum 1795.

[2]) Wolf., l. c. pag. XLV.

[3]) Peters Quaestiones etymologicae et grammaticae de usu et vi digammatis ejusque immutationibus in lingua Graeca. Lips. 1864.

exemplum habemus apud Germanos, qui magnum quoque et clarum habemus carmen de Nibelungis, quod ex compluribus populi carminibus compositum et circa annum MCCX in unum corpus redactum esse Lachmannius[1]) demonstravit. Postea omnia illa carmina jam tota Graecia divulgata atque cognita vir politioris ingenii, cui nomen erat Homerus, ita conjunxit, ut narrationis perpetuae formam induerent, qua quum omnes contenti essent, in honorem auctoris Homerica appellabatur. De patria atque aetate Homeri disseruerunt B. Thierschius[2]) et Dugas-Montbellius,[3]) sed non habeo locum nec tempus de illorum sententiis disputandi. Quum complures rhapsodi illam conglutinationem non diligenter tuerentur, sed, ut iis videbatur, carmina Homerica aut minuerent aut augerent, Pisistratus, tyrannus Atheniensis, doctos viros, quorum notissimi nobis sunt Onomacritus, Zopyrus, Orpheus Crotoniates, e tota Graecia convocavit, ut genuinam et peculiarem carminum Homericorum formam restituerent. Illi viri id quod facere iussi erant omnibus approbantibus absolvere studebant, sed aliquoties ipsi quoque Pisistrato hortante nonnullos locos laudem Atheniensium celebrantes addiderunt, qua de re jam loquar dissertatione procedente. Quum igitur carmina Homerica paullatim tantum orta esse mihi probatum sit, multas discrepantias inesse et in Iliade et in Odyssea non mirum nobis videatur. Causas vero, cur complures in Iliade nec tam multae in Odyssea nobis legentibus occurrant repugnantiae, perfacile cognoscemus, si res et loca de quibus in ambobus carminibus agitur animo proponemus. In Iliade enim tota actio in parvo tantum spatio ad finem perducitur, contra in Odyssea is qui hoc carmine celebratur multis variisque locis versatur, ita ut alios homines aliaque loca commemorata inveniamus; in Iliade multi iidemque viri persaepe exsistunt, in Odyssea centum quidem proci uno loco agunt, sed plurimorum nomina

---

[1]) Lachmann, Zu den Nibelungen. Berlin, 1836.

[2]) B. Thiersch, Ueber das Vaterland und Zeitalter des Homer. Halberstadt 1832.

[3]) Dugas-Montbell, Histoire des poësies Homeriques. Paris 1838.

omnino non appellantur. Sed majores interpolationes jam ante Pisistratum factae sunt et ita fere, ut rhapsodi aut majores partes ex aliis carminibus desumerent aut libros largissimis suis accessionibus locupletarent, quae statim inde cognosci potuerunt, quod aut cum actione antecedenti aut cum personis antea commemoratis dissentiebant. Saepe etiam rhapsodi opiniones et imagines rerum, quae istis quidem temporibus, sed nondum vetustis cuique notae erant, carminibus adicebant fingentes aut tum jam heroum cultum fuisse aut viros aliter describentes ac postea in Graecia describebantur. Qui viri talem fraudem commiserunt, *διασκευασταὶ* appellati sunt, sed immerito. Wolfius[1]) eorum nomen ita explicat: *διασκευαστὰς* non ignotos quosdam auctores criticarum recensionum habendos esse, de quibus alia vocabula in usu sunt, sed exactores aut politores, qui vel una cum Pisistrato vel paullo post eidem operi manum admoverint. Quibus rebus praemissis quae mihi necessariae videbantur ad sententiam meam de Homero explanandam, quae etiam confirmatur, si quomodo carmina epica apud Esthones et Finnos orta sint reputamus, nunc propius ad propositum meum accedam.

§. I.
De ratione et natura libri undecimi.

In maximam semper criticorum offensionem incurrit liber undecimus, quo de Ulixe non in Orcum descendente, sed prope Orcum morante agitur, id quod merito factum esse mihi videtur. Illud enim iter Ulixes suscepit Circe hortante, ut Tiresiam vatem consuleret lib. X. vers. 490—95:

ἀλλ' ἄλλην χρὴ πρῶτον ὁδὸν τελέσαι καὶ ἱκέσθαι
εἰς Ἀΐδα ο δόμους καὶ ἐπαινῆς Περσεφονείης,
ψυχῇ χρησομένους Θηβαίου Τειρεσίαο,
μάντηος ἀλαοῦ, τοῦτε φρένες ἔμπεδοί εἰσιν .
τῷ καὶ τεθνηῶτι νόον πόρε Περσεφόνεια
οἴῳ πεπνῦσθαι · τοὶ δὲ σκιαὶ ἀΐσσουσιν.

---

[1]) Wolf, l. c. p. CLII.

Sed omnino intelligi non potest, cur Ulixes hoc periculosum iter inire debuerit, praesertim quum Circe eum ad se redire jubeat, quae postea in libro XII. omnia pericula narrat, quae postea ei subeunda erant. Nonne Circe statim quae sciebat dicere potuit, quum Tiresias nihil de itinere quod magni esset momenti diceret, sed etiam Ulixem in patriam reversum alia itinera facere quam utilissimum putaret? Ulixes quidem Penelopen de ea re certiorem farit lib. XXIII. v. 248 et 268, sed eum postea denuo iter suscepisse nusquam legimus.

Tiresias ergo non respondet, quomodo Ulixes via certissima domum venire possit, sed mentione Trinacriae excepta quid in Ithaca agatur narrat et tum suadet, qua ratione spectra et a sanguine arcere et cum iis colloqui possit. Haec est summa totius libri aliaque quaecunque antecedunt narrationi eamque subsequuntur, ad narrationem hujus fabulae augendam atque producendam addita sunt. Respiciendae quoque sunt discrepantiae nonnullae cum sequentibus libris conspicuae; nam in libro XI. v. 115 Tiresias Ulixem procos in domo inventurum esse pronuntiat, cujus vaticinii ipse iam oblitus esse videtur in versu 383 libri XIII:

ὢ πόνοι, ἦ μάλα δὴ Ἀγαμέμνονος Ἀτρείδαο
φθίσεσθαι κακὸν οἶτον ἐνὶ μεγάροισιν ἔμελλον,
εἰ μή μοι σὺ ἕκαστα, θεά, κατὰ μοῖραν ἔειπες.

Sed hac de re uberius in singulis locis explicandis disseram, hic tantum commonefaciam, in libro XI. qui *Νεκνία* appellabatur, diversas inesse opiniones ab iis quae temporibus carminum Homericorum nondum scriptorum valuerunt. Tum nondum mortales in numero deorum reponi posse putabantur, cujus rei contrariam sententiam invenimus v. 300, ubi dioscuri et v. 601, ubi Hercules divini honoris participes fuisse praedicantur. Nec minus mirum videtur, apud Homerum homines sceleratos etiamsi mortui sint poenis affligi. Summa poena habebatur, si homines propter *ὕβριν* aut per vitam maximis malis afficiebantur aut etiam morte mulctabantur, sed opinio, homines mortuos scelerum in vita perpetratorum

poenas dare, posteriorum demum est temporum. Quam ob rem Minos animas in Orcum venientes non judicat, sed lites tantum in Orco inter singulas componit. Permulti exstant loci, qui a diis homines vivos puniri demonstrant, ut Od. II, 135. XV, 232. XVIII, 475. XIX, 78 et Il. XIX, 87. IX, 454, 568, 571 et locum, quo homines morte sola puniuntur, invenimus in Od. IV. v. 502 — 10, ubi Ajax Locrensis propter superbe dicta a Neptuno interfectus est. Nusquam Homerus poenae in Orco sustinendae meminit exceptis duobus Iliadis locis, XIX, 260 et III, 278, qui spurii sunt et ubi participium *καμόντας* interpolatum esse constat. Praeterea heroes, qui aliis locis fortissimi omnium Graecorum praedicantur, hic ita apparent, ut mulieres, non viros loquentes audire videamur. Quod si quaerimus, cur Homerus uxores heroum, non heroes ipsos primum ad foveam accedentes faciat non contenti sumus Nitzschio[1]) respondente, id factum esse, quia Homero tales *κατάλογοι γυναικῶν* ante oculos fuerint. Immo inde quod apud Hesiodum similes catalogos nec non in *Νόστοις*, cujus rei meminit Paus. X, 28. 4., invenimus, totam Necyiam recentioris aetatis notam prae se ferre concludere debemus. Primitus in Boeotia, ubi tales mortuorum citationes notae et usitatae erant, hanc necyiam ortam verisimile est et tum aliis carminibus Homericis, quae Ulixem Tiresiam consulentem praedicarunt, affixam esse. Quo tempore autem id factum sit, certiores fieri non possumus, quum nihil certi testimonii hac de re habeamus. Friedlaenderus[2]) obiter hanc queastionem tangens ita sentit:

„Zum Beispiel kann das ganze elfte Buch sehr wohl ein Zusatz — wenn auch vielleicht des ersten Dichters — sein, da Odysseus eigentlich ohne jede Veranlassung in die Unterwelt hinabsteigt". Id certe constat, majorem interpolationem, cui postea minores interpolationes adjectae sunt, jam ante Pisistrati tempora factam esse. Nam tum quum Theagenes Rheginus interpretationes allegoricas Homeri, Hipponax parodias Homericas scripserunt, majores interpolationes non iam irrepere potuerunt, sed ex illo tempore carmina Homerica ut in antiquissima sua integritate servarentur, et publice et a viris doctis cautum est, quam ob rem mihi non arridet sententia Ciceronis, qui de Orat. 3, 34, 137: Pisistratus, inquit, primus Homeri libros confusos antea, sic disposuisse dicitur, ut nunc habemus. —

[1]) Nitzschius in comm. ad Odysseam p. 191.

[2]) Dr. Ludwig Friedländer, Die homerische Kritik von Wolf bis Grote. Berlin, 1853.

§. II.
De situ Orci.

Consideratis versibus 490—91 libri X:

καὶ ἰκέσθαι εἰς Ἀΐδαο δόμους

Ulixem in Orcum ipsum descendisse opinabimur, sed re vera id non fecit. Ut postea Graeci tartarum media in parte terrae esse opinabantur, cujus fidei exemplum videmus apud Aeschylum in choro Eumenidum v. 253 — 255:

μέγας γὰρ Ἅιδης ἐστὶν εὔθυνος βροτῶν ἔνερθε
χθονός, δελτογράφῳ δὲ πάντ᾽ ἐπωπᾷ φρενί,

sic etiam Homeri temporibus eadem erat sententia. Ulixes enim supra terram remansit, quum foveam faceret eique infunderet sanguinem, quo alliceret spectra. Quod quam vere dictum sit, etiam magis lucebit respecto versu 150 libri XI, ubi Tiresiam *δόμον Ἄϊδος εἴσω* ivisse legimus et vers. 627, ubi Herculem idem fecisse narratur. Ulixes ergo id quod Circe suaserat efficere non potuit, quum prope Orcum tantum proficisci posset. Quod quum intellexerimus, nobis erit magno usui perlustrantibus praecipue illos locos hujus libri, quibus Ulixes viros in Orco ipso cruciatos conspexisse dicitur. Ut autem Ulixes ad inferos veniret, regionem ad occidentem sitam petere debuit, in qua *Κερβέριοι* aut *Κιμμέριοι* h. e. viri caliginis habitabant, et in quorum finibus introitus Orci erat, sed paullo post tam longum iter non fuisse necessarium videbimus. Fr. Aug. Wolfius[1]) enim contendit, in Iliade regnum infernum sub terra jacens depingi, in Odyssea autem in extremo occidenti supra Oceanum, cui

[1]) Wolf, Vorles. über Gesch. der Griech. Liter. p. 180.

poenas dare, posteriorum demum est temporum. Quam ob rem Minos animas in Orcum venientes non judicat, sed lites tantum in Orco inter singulas componit. Permulti exstant loci, qui a diis homines vivos puniri demonstrant, ut Od. II, 135. XV, 232. XVIII, 475. XIX, 78 et Il. XIX, 87. IX, 454, 568, 571 et locum, quo homines morte sola puniuntur, invenimus in Od. IV. v. 502 — 10, ubi Ajax Locrensis propter superbe dicta a Neptuno interfectus est. Nusquam Homerus poenae in Orco sustinendae meminit exceptis duobus Iliadis locis, XIX, 260 et III, 278, qui spurii sunt et ubi participium *καμόντας* interpolatum esse constat. Praeterea heroes, qui aliis locis fortissimi omnium Graecorum praedicantur, hic ita apparent, ut mulieres, non viros loquentes audire videamur. Quod si quaerimus, cur Homerus uxores heroum, non heroes ipsos primum ad foveam accedentes faciat non contenti sumus Nitzschio[1]) respondente, id factum esse, quia Homero tales *κατάλογοι γυναικῶν* ante oculos fuerint. Immo inde quod apud Hesiodum similes catalogos nec non in *Νόστοις*, cujus rei meminit Paus. X, 28. 4., invenimus, totam Necyiam recentioris aetatis notam prae se ferre concludere debemus. Primitus in Boeotia, ubi tales mortuorum citationes notae et usitatae erant, hanc necyiam ortam verisimile est et tum aliis carminibus Homericis, quae Ulixem Tiresiam consulentem praedicarunt, affixam esse. Quo tempore autem id factum sit, certiores fieri non possumus, quum nihil certi testimonii hac de re habeamus. Friedlaenderus[2]) obiter hanc queastionem tangens ita sentit:

„Zum Beispiel kann das ganze elfte Buch sehr wohl ein Zusatz — wenn auch vielleicht des ersten Dichters — sein, da Odysseus eigentlich ohne jede Veranlassung in die Unterwelt hinabsteigt“. Id certe constat, majorem interpolationem, cui postea minores interpolationes adjectae sunt, jam ante Pisistrati tempora factam esse. Nam tum quum Theagenes Rheginus interpretationes allegoricas Homeri, Hipponax parodias Homericas scripserunt, majores interpolationes non iam irrepere potuerunt, sed ex illo tempore carmina Homerica ut in antiquissima sua integritate servarentur, et publice et a viris doctis cautum est, quam ob rem mihi non arridet sententia Ciceronis, qui de Orat. 3, 34, 137: Pisistratus, inquit, primus Homeri libros confusos antea, sic disposuisse dicitur, ut nunc habemus. —

[1]) Nitzschius in comm. ad Odysseam p. 191.

[2]) Dr. Ludwig Friedländer, Die homerische Kritik von Wolf bis Grote. Berlin, 1853.

§. II.
De situ Orci.

Consideratis versibus 490—91 libri X:

καὶ ἱκέσθαι εἰς Ἀΐδαο δόμους

Ulixem in Orcum ipsum descendisse opinabimur, sed re vera id non fecit. Ut postea Graeci tartarum media in parte terrae esse opinabantur, cujus fidei exemplum videmus apud Aeschylum in choro Eumenidum v. 253 — 255:

μέγας γὰρ Ἅιδης ἐστὶν εὔθυνος βροτῶν ἔνερθε
χθονός, δελτογράφῳ δὲ πάντ᾽ ἐπωπᾷ φρενί,

sic etiam Homeri temporibus eadem erat sententia. Ulixes enim supra terram remansit, quum foveam faceret eique infunderet sanguinem, quo alliceret spectra. Quod quam vere dictum sit, etiam magis lucebit respecto versu 150 libri XI, ubi Tiresiam *δόμον Ἄϊδος εἴσω* ivisse legimus et vers. 627, ubi Herculem idem fecisse narratur. Ulixes ergo id quod Circe suaserat efficere non potuit, quum prope Orcum tantum proficisci posset. Quod quum intellexerimus, nobis erit magno usui perlustrantibus praecipue illos locos hujus libri, quibus Ulixes viros in Orco ipso cruciatos conspexisse dicitur. Ut autem Ulixes ad inferos veniret, regionem ad occidentem sitam petere debuit, in qua *Κερβέριοι* aut *Κιμμέριοι* h. c. viri caliginis habitabant, et in quorum finibus introitus Orci erat, sed paullo post tam longum iter non fuisse necessarium videbimus. Fr. Aug. Wolfius[1]) enim contendit, in Iliade regnum infernum sub terra jacens depingi, in Odyssea autem in extremo occidenti supra Oceanum, cui

[1]) Wolf, Vorles. über Gesch. der Griech. Liter. p. 180.

J. H. Vossius non assentitur, qui putat, regnum infernum in media parte terrae situm habere aditum occidentalem. Voelckeri[1]) opinio de natura Orci non digna est de qua disputetur, quum ad suam sententiam corroborandam ipsis hujus libri locis interpolatis nitatur. Quum autem Orcus in interiore parte terrae situs esset et Ulixes in eum ingredi aut nollet aut nequiret, nulla est causa cur ad Cimmerios proficiscatur, quum imagines quovis loco ex Orco, qui Graece Ἔρεβος h. e. locus caliginis appellatur, ad lucem venire possent. Quid quod εἴδωλα apud Homerum nulla re impediuntur, quominus ad inferos veniant, quam ob rem etiam preces Elpenoris inutiles videntur? Postea aliae sententiae circumferebantur de ratione perveniendi ad Orcum, quas praecipue Lucianus[2]) describit, qui Orcum magnis fluminibus circumclusum esse commemorat, per quae mortui a vectore Charonte lintre transportabantur, quae ratio etiam in altera Necyia non est nota. Cerberus h. e. canis caliginis tum nondum habuit vim mortuos arcendi et Hercules, qui ejus meminit, se illum ex Orco extulisse tantum gloriatur. A poëtis posteriorum aetatum discernitur Tartarus ab Elysio, quas in partes etiam Romani Orcum divisum esse putarunt. Nunc jam, postquam quo loco fuerit Ulixes et quo modo cum simulacris sermonem facere potuerit, exposui, ad singulos *Νεκυίας* locos explicandos accedemus, ut videamus, num certis argumentis fulta sit sententia eorum virorum doctorum, qui quamquam non totum librum tamen nonnullos locos et versus interpolatos esse contendunt aut eorum, qui totum librum ita constructum esse putant, ut omnino ommitti possit. Tertia sententia eorum qui omnia defendere multo labore et sudore student, jam a paucis respicitur. —

§. III.
De exordio *Νεκυίας*.

Ulixes et socii bene parati ascendunt navem, et quum Circe *αὐδήεσσα* ventum vela implentem mitteret, brevi

[1]) Völcker, Ueber hom. Geographie und Weltkunde p. 140.
[2]) Lucianus, de luctu §. 2—9.

tempore ad Cimmerios veniunt. Quamquam *αὐδήεις* etiam aliis locis dicitur, ut Od. V., 334, ubi Ino Leucothea praedicatur: *ἣ πρὶν μὲν ἔην βροτὸς αὐδήεσσα*, id quod Scholia explicant: *ἀνθρωπιστὶ φθεγγομένη* et VI, 25, ubi homines *αὐδήεντες* appellantur, id quod Apollonius in lexio idem significare vult atque: *ὅτι εἰς ὁμιλίας ἦλθον ἀνθρώπῳ τῷ Ὀδυσσεῖ*, tamen haec explicatio nobis probari non potest. Neque cum Clarkio, qui Circen „vocalem" dictam esse vult, consentire possumus; nam homines possunt habere epitheta, quae deorum propria sunt, sed diis virtutes eximiae non possunt tribui, quas deos habere per se constat. Quamobrem nostro loco primitus aliud adjectivum fuisse suspicari debemus, quod deinceps mutatum sit, id quod etiam conjecturis Aristophanis qui *οὐδήεσσα* et Aristotelis, qui *αὐλήεσσα* legebat, verisimilius fit et potius opinioni Nitzschii assentiendum est, antiquae linguae fuisse formam *οὐλήεσσα* = *ὀλόεσσα*. Quod si ita explicamus, statim naturam Circes cognoscemus, quae sociis Ulixis perniciosa fuit aliisque et ita similis erat Acetae fratri, qui venerorum adhibendorum erat peritissimus, quam ob rem *ὀλοόφρων* nominatur, cujus epitheton quo modo explicandum sit recte perspexit Buttmannus.[1]) *Κιμμέριοι* hic tantum commemorantur eorumque nomen idem valet ac *Κερβέριοι* h. e. viri caliginis. Apud poëtas posterioris aetatis Cimmerii describuntur a Vergilio Georg. 357. III, ab Ovidio Metam. lib. XI, v. 592, a Tibullo lib. IV, eleg. i. vers. 64 ubi haec legimus:

> Cimmerion etiam obscuras accessit ad arces;
> queis nunquam candente dies apparuit ortu,
> sive supra terras Phoebus seu curreret infra.

In v. 23 sacrificia diis subterraneis oblata *ἱερήϊα* appellantur, id quod jam Eustathius vituperat, qui inferias semper *τόμα* aut *ἔντομα* dici demonstrat, *ἱερήϊα* autem illa tantum, quae diis Olympicis homines obtulerint. Non minus offendit v. 37 Genetivus *Ἐρέβευς* pro *Ἐρέβους*, quae forma in singulis tantum Substantivis adhibebatur. De hujusmodi Genetivo disputavit Muetzellius.[2]) Sanguine effuso imagines mortuorum apparent

[1]) Buttmann, Mythol. II. 240.
[2]) Muetzellius, de emmendatione Theog. Hes. pag. 52.

v. 38 — 43, quos versus ficticios esse primum inde concludere possumus, quod Zenodotus et Aristophanes eos eiicere voluerunt, quorum argumenta erant haec: enumerationem mortuorum non apte afferri, quum Homerus umbras sigillatim accedentes faciat, tum inde quod Ulixes ex Agamemnone quaesierit v. 398: *τίς νύ σε Κὴρ ἐδάμασσε τανηλεγέος θανάτοιο,* liquere mortuos non prae se tulisse vulnerum signa. *Λυτικοὶ* vero, quibus tum Eustathius et nostris temporibus Voelckerus[1]) assentiebantur, responderunt, generalem antecedere enumerationem (*προανακεφαλαίωσιν*), tum umbras eodem situ apparuisse, quo ex vita discesserint Sed *Λυτικῶν* argumenta contraria non habent quod nobis persuadeant, quum de natura mortuorum sententiae fuerint diversae. Potius argumentis a Nitzschio[2]) allatis assentiri debemus, qui versus hos interpolatos esse ratus ita argumentatur.

a. enumerationem esse inutilem et ut sit praenuntiatio non convenire cum sequentibus imaginibus, quae omnino non accedant, quum series uxorum postea appareat,

b. versui 43:

θεσπεσίῃ ἰαχῇ · ἐμὲ δὲ χλωρὸν δέος ᾕρει ·

inepte adjungi versum 44:

δὴ τοτ᾽ ἔπειθ᾽ ἑτάροισιν ἐποτρύνας ἐκέλευσα.

c. *ψυχὴν* Elpenoris primum cognoscere Ulixem eamque ab illo cognosci in vers. 51:

πρώτη δὲ ψυχὴ Ἐλπήνορος etc.;

d. raro tantum in usu esse formas verborum: *βεβροτωμένα* et *πολύτλητοι*".

Ad haec argumenta augenda non negligendi sunt versus 225 in quibus uxores iterum accedere dicuntur. Illas semper stetisse circa Ulixem, quum loqueretur cum Elpenore, Tiresia, matre, nihil est causae quod putemus; nam certe Proserpina incitante singulae uxores ex Orco accedunt. Brausewetterus[3]) imagines promiscue, non ut *προμνηστίνας*

[1]) Voelcker, Ueber die Bedeutung von ψυχή und εἴδωλον.
[2]) Nitzsch, in 1. Com. z. Odyssea III. p. 196.
[3]) Brausewetter, De necyia Homerica. Regimonti Pr. 1863.

se congregasse contendere voluit et foveam per totum tempus cogitandam esse umbrarum corona quasi circumdatam. Sed illius sententiae obstant versus 233, 234:

αἱ δὲ προμνηστῖναι ἐπήϊσαν ἠδὲ ἑκάστη
ὃν γόνον ἐξαγόρευεν.

et pro certo putare possumus, singulas animas apparuisse, tum dicessisse, dum ipsis de sua sorte loquendi occasio fuerit. Vis Participii *οὐτάμενος* eadem est ac Part. *βεβλημένος*, quo de verbo postea disseram. —

§. IV.
De Elpenore ejusque narratione.

Quamquam tam multae animae ad foveam congregatae erant, Ulixes tamen iis ad sanguinem accedendi non dedit facultatem, priusquam Tiresiam sciscitatus esset. Cur autem id Elpenori concesserit, qui ita describitur X. vers. 552:

Ἐλπήνωρ δέ τις ἔσκε νεώτατος οὔτε τι λίην
ἄλκιμος ἐν πολέμῳ οὔτε φρεσὶν ᾗσιν ἀρηρώς.

aut quomodo factum sit, ut quamquam sanguinem non biberat colloqui posset cum Ulixe, non est unde cognoscatur. Koës[1]) quidem id fieri potuisse vult, quia natura Elpenoris ab ceterorum in Orco habitantium mortuorum diversa fuerit. At si omnino ibi esse potuit, quae illa diversitas fuerit difficile est intellectu, quum natura omnium mortuorum eadem fuerit.

Nonne Ulixes habuit potestatem, arcendi istum hominem, cujus ipse antea minus gloriose meminerat? Ulixes qui ea tantum spe incitatus fines Orci petiverat, ut de celerrima domum redeundi ratione certior fieret, primum cum Tiresia de rebus minoris momenti loquitur et ita quominus finem itineris in Orcum facti acceleret impeditur. Quodsi reputamus, non facere possumus quin illos recte judicasse existimemus, qui colloquium Elpenoris interpolatum esse conjiciant.

Sed etiam majora argumenta habemus in verbis et Elpenoris et Ulixis inter se dissentientibus, quae illam sen-

[1]) G. H. C. Koës, commentatio de discripantiis quibusdam in Odyssea occurentibus. Hafniae 1806. p. 37.

tentiam certissimam esse demonstrant. Ulixes enim Phaeacibus se cadaver Elpenoris in domo Circes reliquisse narrat v. 53:

σῶμα γὰρ ἐν Κίρκης μεγάρῳ κατελείπομεν ἡμεῖς

et sic iudicat, se jam scivisse Elpenorem mortuum esse, qua re quaestio v. 57, 58 inutilis est, quum id experiri velit, quod iam scivit. Respiciendum quoque est *σῶμα*, quod apud Homerum dicitur tantum de cadavere, id quod jam animadvertit Aristarchus et cuis rei mentionem facit Lehrsius.[1]) Apollonius lex. H. p. 754 ita loquitur: *Ὁ Ἀρίσταρχος παρατετήρηκε τὸ σύνηθες Ὁμήρῳ καὶ σεσημείωται διπλῇ ὅτι σῶμα οὐδέποτε Ὅμηρος ἐπὶ τοῦ ζῶντος εἴρηκεν.* Homerum de vivo corpore dicere *δέμας* et per se patet et illustratur his Plutarchi poes. Hom. c. 124 et c. 128 v. Schol. *A.* 115 (quod est Porphyrii) *T*, 23. Ulixes tum quaerit v. 57: *Ἐλπῆνορ, πῶς ἦλθες ὑπὸ ζόφον ἠερόεντα;* et quum ita audire velit, quo modo aut qua via in Orcum venerit; nam particula *πῶς* explicatur versibus sequentibus:

ἔφθης πεζὸς ἐὼν ἢ ἐγὼ σὺν νηῒ μελαίνῃ;

et respondere debuerit ita fere ut chorus Eumenidum apud Aeschylum v. 250:

ὑπέρ τε πόντον ἀπτέροις πωτήμασιν
ἦλθον διώκουσ', οὐδὲν ὑστέρα νεώς,

homo ineptus Ulixem quaerentem non itellexit, quamobrem narrat, qua ratione mortuus sit, id quod Ulixi jam notum erat, sed nondum sepelire potuit, *ἐπεὶ πόνος ἄλλος ἔπειγεν,* quod non verisimile esse videtur, Ulixi non tantum fuisse temporis, ut socio ultimum officium praestaret. Omnino autem nihil est causae cur poëta Elpenorem quid sibi acciderit narrantem faciat, quum Ulixes lib. X. v. 552 — 560 haec omnia cum Phaeacibus communicaverit. Non necessaria est v. 66 adjectio: *οὐ παρεόντων*, quae explicet: *τῶν ὄπιθεν* et sensus versus 68 facile falso intelligi potest; nam *μοῦνος*, nisi cum alio substantivo conjungitur, significat

---

[1]) Lehrs, De Aristarchi studiis Homericis. Reg. Pr. 1833.

Telemachum solum domi relictum fuisse, id quod poëta hic non dictum esse vult, quia supplenda est vox: *υἱὸς*, ut conjunctim invenimus *μοῦνον υἱὸν* in libro XVI. v. 118—20. Sin Elpenor v. 69, 70 dicit:

οἶδα γὰρ ὡς ἐνθένδε κιὼν δόμου ἐξ Ἀΐδαο
νῆσον ἐς Αἰαίην σχήσεις εὐεργέα νῆα,

aperte aliquid falsi pronuntiat; nam socii quo iter fieret primum in navi experti sunt, quum ipse jam mortuus esset. Nitzschii[1]) sententia, qui *οἶδα* ita interpretatur: *οἶδα* hat öfters den Sinn einer zwar starken, aber immer nur subjectiven Ueberzeugung, eines festen Glaubens, non habet quod nobis persuadeat et refutata est a Lauero,[2]) qui locos Od. X. 267. XIV. 365. Il. IV. 163 a Nitzschio ad suam explicationem corroborandam adhibitos primum rejicit et tum ita pergit: Tantum vero abest ut causa inveniatur, qua commotus aliquam Elpenor de Ulixis ad Circen reditu exsistimationem habere potuerit, ut Ulixem Circae insula praeternavigata quam brevissima via patriam esse petiturum verisimile videri debuerit. Inepti quoque sunt versus 71 — 73, in quibus Elpenor ne ipsum indefletum et insepultum relinquant petit, quod nisi fecerint fore ut Ulixes a diis puniatur minatur; nam nusquam apud Homerum exstant loci, ex quibus eluceat, homines religione coactos fuisse, mortuos sepelire. Quae religio si jam tum valuisset, certe Achilles, qui hostes avibus diripiendos Il. I. 4 dedit, non laudatus esset et aliis Iladis locis XII. 389 et XXIV. 593 mortui statim in Orcum abeunt et Il. XXIII. v. 19 et 179 Achilles, quamquam Patroclus nondum sepultus erat, evocat:

Χαῖρέ μοι, ὦ Πάτροκλε, καὶ ἐν Ἀΐδαο δόμοισι.

Ex omnibus his versibus recentiores opiniones antiquioribus temporibus suppositas esse videmus. Postremo Elpenor petit, ut sibi in tumulo remus figatur, ut ubi jaceat postea cognoscatur. Ex hisce verbis nonnulli concluserunt, tum fuisse

---

[1]) Nitzsch, l. c. III. p. 201.

[2]) S. Fr. Lauer, De Odysseae libro undecimo quaestionum caput primum Berolini 1843.

morem apud Graecos signa in tumulis mortuorum statuendi, sed nusquam talis mos commemoratur et persuadendi vim habent neque epigramma Sapphus in Palat. Anthol. VIII. 505 neque ille ab Aristotele[1]) citatus mos Iberorum, tot verua circa sepulcra collocandi, quot hostes mortuus interfecerit. Sed nunc jam satis de Elpenore disputasse et id explicuisse mihi videor, tantas causas adesse ad interpolationem hujus colloquii demonstrandam, ut iam nemo hos versus suo loco positos esse contendere possit. Praeterea Lauerus, ut ostenderet, qua ratione et unde isti versus corrasi essent, singulos versus collectos composuit loc. cit., pag. 19. —

§. V.

De .vaticiniis Tiresiae.

Ante Tiresiam jam in conspectum venit mater Ulixis, Anticlea, filia Autolyci, quae cum filio sermonem conferre studuit, sed ille quamquam eam deflevit prohibuit, quominus ad sanguinem appropinguaret. Plutarchus[2]) quidem dicit, id consulto Ulixem fecisse, sed ego intelligere nequeo, qua re permotus filius sermonem cum matre praebitum ita negligere possit ut cum aliis loquatur, praesertim quum sibi ex collocutione Tiresiae interim neglecta nihil quidquam fuisset detrimenti. Et cur potius et prius garrulo Elpenori dedit colloquii ansam quam matri? Quibus momentis commotus facere non possum, quin istos versus subditicios esse putem, quibus interpolator id tantum efficere voluit, ut vaticinia Tiresiae, propter quae totum iter susceptum erat, jam magis illustrarentur, quae ipsa tam exilia atque tenuia erant, ut Ulixes nullo incommodo illis carere posset. Primum enim Tiresias praevidit, fore ut Ulixes *κακῶς* h. e. rebus adversis afflictus domum reverteretur, id quod non veruum est, quum postea Ulixe dormiente navis ad Ithacam appelleretur. Ceterum Tiresias ei nulla vaticinia nuntiat exepta illa calamitate, quae ei in Trinacria occurreret, nisi boum giegibus

[1]) Aristoteles, Polit. VIII. 3.
[2]) Plutarchus, de curios. 2.

parceret; tum id narrat quod Ulixes non quaesiverat. Jn versu 115 enim quid in domo Ulixis agatur exponit, cujus vaticinii in libr. XIII. 386 omnino non meminisse videtur. Huc accedit quod Ulixi, qui erat *πολύτροπος* et qui finem errorum quam proxime affore sperabat, imperat, ut procis interfectis ad illum populum eat, qui remum putet esse vannum, ubi a scelere purgetur. Hisce verbis ergo suasit, ut Ulixes iterum, quum Ithaca parvi tantum esset spatii, mare pernavigaret, ut illum populum, cujus fines tam longe a mari abessent peteret, qua re factum esset, ut denuo in potestatem Neptuni veniret, qui ei erat quam maxime iratus. Poetam autem cogitasse, esse populum qui non noverit remos, mihi non potest persuaderi; nam omnes homines jam viderunt remos, qui non solum in mari, sed etiam in fluminibus et lacubus adhibentur. Postea quidem hoc vaticinium non oblitus erat, quum Penelopen de eo certiorem faceret, sed novum iter inire non parat. Postremo vates addidit eum *γήρᾳ ὕπο λιπαρῷ ἀρημένον* mortem obiturum esse, id quod Ulixi qui viribus pollebat non jucundum auditu esse potuit, quamquam sortem suam aequo animo laturus esse videtur vers. 139:

τὰ μὲν ἄρ' που ἐκέκλωσαν θεοὶ αὐτοί.

Mirum quoque videtur quod Ulixes interrogat vers. 144:

εἰπὲ, ἄναξ, πῶς κέν με ἀναγνοίη τὸν ἐόντα;

nam ipse v. 50 nemini ut sanguinem biberet permisit gladio a femore stricto et ita jam scivisse videtur eam rationem, qua cognoscatur ab animabus mortuorum. Ex eo autem quod Tiresias sanguine egebat, ut loqui posset, Ulixes jam satis perspexerat, id quod interrogaverat, et versus ita non solum inutiles sunt, sed etiam subditi esse videntur, quum et poëtae superflua dicere non liceat.

§. VI.

De colloquio Ulixis cum matre Anticlea.

Tiresia in Orcum reverso tandem mater quam cupidissime desideratam cum filio loquendi ansam nacta est et sic fatur v. 155:

τέκνον ἐμὸν, πῶς ἦλθες ὑπὸ ζόφον ἠερόεντα ζωος ἐών;

Hic significat particula πῶς non „quo modo", sed „quo consilio adductus"; nam particulae vis liquet et ex ζωὸς ἐών, quia periculosum est haec tristia loca ab hominibus vivis conspici, et ex verbis Ulixis respondentibus in v. 164:

μῆτερ ἐμή, χρειώ με κατήγαγεν εἰς Ἀΐδαο·

Certe autem versus 156 — 160 interpolati sunt, quibus aditus ad Orcum describitur; nam temporibus Homeri Orcus nondum inclusus fluminibus et Oceano cogitabatur, ut mortuis ad illa impedimenta superanda linter necessaria esset. Quod verum esse iam ex crebris carminum Homericorum locis intelleximus, quibus illorum impedimentorum nulla fit mentio. Non minus suspecti sunt versus 160—163:

γηί τε καὶ ἑτάροισιν

quamobrem Doederleinius[1]) ita scribendum esse conjicit:

νηΐ τε σὺν ἑτάροισιν;

nam etiamsi recte dici possit: νηὶ ἀλώμενος h. e. in navi circumerrans, tamen si haec verba conjunguntur cum ἑτάροισιν, certe necessaria est praepositio comitans „σύν". Postquam Ulixes matri interroganti, num jam viderit patriam, respondit, se nondum in Achaïa fuisse, quaerit quomodo se habeant et uxor et filius. Tum mater narrat, eum a Penelope per noctes in aedibus flente exspectari, quae nondum alius viri eximii uxor facta sit et maritum suum, patrem Ulixis, jam semper gravi morbo defectum esse. Haec omnia Anticlea ita nuntiat filio, quasi illo momento quo cum eo loquatur fiant, id quod ipsa scire non potuit, quum jam multos annos mortua esset et ex illo tempore res facillime mutari possent. Praecipuae autem sunt offensioni versus 184 — 186, quibus illa Telemachum ita celebrat:

— ἀλλὰ ἕκηλος
Τηλέμαχος τεμένη νέμεται καὶ δαῖτας ἐΐσας
δαίνυται, ἃς ἐπέοικε δικάσπολον ἄνδρ' ἀλεγύνειν·
πάντες γὰρ καλέουσιν.

Telemachus enim, quem Ulixes ἐπὶ μαζῷ uxoris v. 449 reliquerat, nondum vicesimum annum superaverat et jam

[1]) Doederlein, de brachylogia serm. graec. et lat. p. 5.

jurisdictionis potestatem habere dicitur, quod mihi non verisimile videtur; nam non quicunque erat filius regis, postea regnum suscepit, sed is tantum qui ingenii virtutibus aliis excellebat. Quum autem Anticlea moreretur, Telemachus certe nondum hujus honoris particeps erat, quamobrem id illa scire non potuit. Ita ergo interpolatos se ipsi versus prodiderunt! Difficultatem quandam praebent verba:

πάντες γὰρ καλέουσιν,

quae ita explicari possunt: Telemachus convivia aequalia eam ob rem largitur, quod eum omnes ad eadem convivia invitant aut: convivia largitur, quia eum omnes evocant ad controversias dirimendas. Si alteram explicationem sequamur, facile intelligemus, id fieri non potuisse, quia Ithacenses se talibus conviviis ad causam Telemachi adjungi putare potuerint; si primam, Telemachus certe auctoritati suae firmandae magis nocuisset quam profuisset, quia regi tam familiariter cum aliis vivere non licuit. In codice Hamburgensi legitur: κοτέουσιν pro καλέουσιν, sed hoc verbo sensus hujus versus non corrigitur, quia Anticlea non jam vivebat, quum proci Penelopen uxorem ducére et resistentem eo quod in ejus domo sedebant frangere voluerunt. Maximae verisimilitudinis speciem prae se fert conjectura Nitzschii,[1]) qui κομέουσιν legere vult; nam id intelligere possumus, Ithacenses gratos et benignos fuisse, quia animos ad memoriam omnium eorum beneficiorum revocabant, quae ipsis a Laerte et Ulixe regibus collata erant. Quum Ulixes matrem per vim retinere frustra laboraverit illaque explicuerit, eum non a Proserpina illudi, sed id fieri propter naturam manium v. 218:

ἀλλ' αὕτη δίκη ἐστὶ βροτῶν, ὅτε κέν τε θάνωσιν,

iterum animae mortuorum in lucem veniunt v. 227:

ὅσσαι ἀριστήων ἄλοχοι ἔσαν ἠδὲ θύγατρες

ita ut v. 38. Postea autem singulae tantum ad sanguinem accedunt et loquuntur, qua ex re non solum versus supra citatos et explicitos, sed etiam hos interpolatos esse videmus.

[1]) Nitzsch, l. c. p. 220.

§. VII.

De catalogo heroidum.

Hic *κατάλογος γυναικῶν* jam dudum in contentione atque controversia versatus erat. Nam cur Ulixes heroides citaverit non potest intelligi, quum ei nihil dicant de ratione qua facillime domum venire possit, sed de suo tantum genere glorientur. Ipse Nitzschius catalogum nonnullis locis auctum fuisse concedit. Causam autem, quod heroides in scenam prodeant, ex eo deducere, quod Anticleae id permissum fuerit, nolim. Id enim infirmis tantum nititur argumentis, quum ejus colloquium multis rationibus non verisimilibus laborare exposuerimus. Etiamsi Ulixem ut cum heroibus loqueretur cupere potuisse intelligamus, ut aut illos viros, qui virtutibus suis tota Graecia celebrabantur cognosceret aut socios, quibuscum tam multa pericula subierat, reviseret, tamen virum dedecebat cum uxoribus loqui; quibus quominus iter accelerarct prohibitus est. Sententia eorum qui id factum esse putant, quia poëtae tales genealogiarum catalogi in manu fuerint, id confirmatur, quod jam antea contendimus, *Νεκυίαν* esse posteriorum temporum; nam post Homerum et praecipue per Hesiodum tales genealogiae collectae atque compositae sunt. Sed etiam ipsae heroidum narrationes, ut postea videbimus, et cum aliis carminum Homericorum locis et cum opinionibus, quae postea de diis atque deabus circumferebantur, ita dissentiunt, ut catalogum interpolatum esse paene certo affirmare possimus. Primum v. 235 Ulixes vidit inclytam Tyro, filiam Salmonei, cui se assimilavit Neptunus ibique v. 246 interpolatus est; nam priora verba: *λῦσε δὲ παρθενίην ζώνην* sequentibus: *κατὰ δ' ὕπνον ἔχευεν* tolluntur. Tum v. 260 vidit Antiopen, matrem Amphionis et Zethi, qui v. 263 ita praedicantur:

οἳ πρῶτοι Θήβης ἕδος ἔκτισαν ἑπταπύλοιο.

Sed hi versus sententiis aliorum scriptorum, praecipue Pausaniae IX. 5 contradicunt, qui dicit, Thebas conditas esse a Cadmo ibique primum Polydorum et Labdacum regnasse, postea rege Laïo, qui Lyco tutore utebatur, ab Amphione

et Zetho Thebas expugnatas esse. Alii narraverunt Thebas, quae a Phlegyis deletae fuerint, illis jam dudum mortuis a Cadmo iterum exstructas esse, qua fabula ostendere voluerunt, non filios Antiopes, sed Cadmum revera condidisse Thebas septem portis ornatas. Deinde in conspectum venit vers. 266 Alcmene, uxor Amphitryonis, mater Herculis, qui v. 267 *θρασυμέμνων, θυμολέων* appellatur, quae attributa hos versus esse suspectos ostendunt; nam locis Od. XI. 261—26 et Iliad. VIII. 362—69 exceptis nusquam per Homerum rerum ab Hercule praeclare gestarum mentio fit. Quin etiam in Od. XXI. 7 ubi eum Iphitum hospitem interfecisse narratur, ita verbis castigatur, ut Homerum de eo non optime sensisse constet. In Iliade V. v. 640 filius Herculis, Tlepolemus, qui quidem magnopere gloriatur, breviter tantum commemoratur, quum paullo post a Sarpedone interficiatur. Posteriore demum tempore Herculi cultus offerebatur a nonnullis pagis, quorum causa hi versus quibus heros celebratur interpolati esse videntur. — Postea v. 271 Ulixes conspicit Epicasten, matrem Oedipodis, quae propter inscitiam uxor filii facta est. Suspectum est adverbium „*ἄφαρ*“ quod non significat „statim,“ sed „non multo post“. Versus ergo:

ἄφαρ δ' ἀνάπευστα θεοὶ θέσαν ἀνθρώποισιν

illam fabulam tollerent, quae Oedipodi matrem quattuor liberos peperisse narrat; nam si per tot annos incestus non cognitus fuisset, Homerus non dicere potuit *ἄφαρ*. In alio carmine epico quod Oedipodeia appellatur, illa fabula mutata narratur, Oedipum non ex matre, sed ex altera conjuge habuisse istos quatuor liberos. Postquam sortem Epicastes et vitam Chloridis v. 281 memoravit, vidit etiam v. 298 Ledam, conjugem Tyndarei, quae verbis:

ἣ ῥ' ὑπὸ Τυνδαρέῳ κρατερόφρονε γείνατο παῖδε

Tyndareo ipsi Castorem et Pollucem peperisse praedicatur. Sed aliis locis istos Jovis ipsius filios esse narratur, ut Hesiodus quoque eos describit. Versus 301 non est necessarius, quum sequentibus versibus idem melius et clarius dicatur, tum quoque relativum *οἳ* ostendit, versum 302 statim ad-

jungendum esse ad v. 300. Non minus suspectum est perpecfum λελόγχασι, cujus paenultima syllaba hoc loco correpta est. Porro vidit v. 305 Iphimediam, matrem Oti et Ephialtis, qui et pulcherrimi et magno erant robore, quo eorum animi ita sublati sunt, ut ipsis diis se eos in Olympo aggressuros esse minarentur. Quod ut efficerent, Ossam Olympo et Ossae Pelium nemorosum impónere voluerunt, sed id non fecerunt, quia a Jove interfecti sunt; id enim iis in animo tantum erat; quia μέμασαν non significat: conati sunt, sed: moliti sunt. Cur montem monti imponere velint, ut deos consequantur, non liquet; nam v. 312 dii in Olympo habitare dicuntur atque Ὄλυμπος et οὐρανός idem valent, quia cacumina Olympi, montis Macedoniae, nubes excedere cogitantur, quamobrem fratres, simulatque ascenderunt Olympum, statim bellum cum diis conserere potuerunt. Lehrsius[1]) hunc locum ita explicat. Olympum ascendunt Aloidae; tum dii illos fugientes in altiora coeli aufugiunt; quae coeli altiora ut et ipsi ascendere possint, quum aera sine machinis ascendere non possint, montes superstruere moliuntur". Sed si Olympus altiora coeli excedit, non intelligi potest, quo dii auffugere potuerint, qui jam nihil aliud facere potuerunt nisi ut sedibus relictis in aere circumvolarent. Sensus hujus loci ut melius intelligatur, conferatur Lehrsius p. 167, ubi οὐρανὸς, Ὄλυμπος, αἰθὴρ, ἀὴρ discernuntur. Inusitatus est quoque accusativus γένυς.

Sequentes versus 320, quibus Phaedra, Procris, Ariadne apparuisse dicuntur, sunt subditi aut certe suspecti, quia ibi uxores Atticae connectuntur et ita indicant, hujus loci auctores fuisse διασκευαστάς.

Injuria Minos ὀλοόφρων appellatur, id quod significat: atrox, severus; nam in Orco potius rex benignus atque justus alio loco a poëta praedicatur. Difficultatem quandam v. 321—25 attulerunt, qui quomódo explicari possint non dilucidum est. Theseus enim Ariadne Athenas ducturus erat; nam imperf. ἦγε significat: erat in eo ut duceret,

[1]) Lehrs, l. c. p. 176.

quod vel inde cognosci potest, quod Ariadne nunquam Athenas venit, sed in insula Naxo a Diana interfecta est. Quamobrem id factum sit, ea de re dissentiunt scriptores. Alii Ariadnen occisam esse μαρτυρίῃσι Διονύσου contendunt, quia Theseus se ei adjunxerit, id quod Dionysus Dianae prodiderit; alii et in his Pherecydes dicunt, Ariadnen mortem obiisse, quia cum Baccho ipso castitatem violaverit, quamobrem legunt: Διονύσου μαργυρίῃσιν, id quod verisimile esse potest, quum istud substantivum et eundem sonum et numerum syllabarum habeat et sensum in melius redigat. Pro ἔκτα etiam legitur: ἔπεσχε θανάτῳ, quibus verbis idem exprimitur. Mirum item videtur breve ο in Διονύσου; nam plerumque in epicis legitur: Διωνύσου. Certe his in versibus habemus interpolationem Atticam, quae a Theseo Ariadnen relictam esse non vult fide violata, sed id factum esse ostendit, quia Ariadne ipsa dissociationis causa fuerit. Postremo vers. 325—30 Ulixes vidit Maeram Clymenam, Eriphylen, quae in Νόστοις Hagiae Troezenii praedicatae erant et nostro loco eam ob causam interpolatae sunt, ut heroidum ante Ledam, dioscuros, tres uxores Atticas commemoratarum meminerint lectores. Prima enim, mater Locri, qui Thebas cum Amphione et Zetho habitasse dicitur in memoriam reducit Antiopen v. 260; altera, uxor Phylaci et mater Iphicli, fabulam de Pero v. 287, tertia, conjux Amphiarai, qui contra Thebas profectus est, Thebas commonefacit. —

§. VIII.

De interlocutione Ulixis et Phaeacum.

Postquam Ulixes usque ad v. 330 historiam heroidum aut ipsas loquentes fecit aut ipse narravit, jam fabulas enarrare desinere vult, quia tempus dormiendi moneat et per ambages interrogat, utrum ad navem discedat an in domo Alcinoi maneat. Sed nemo quaerenti respondit, omnesque intentionis silentio tenebantur, dum Arete, cui hospes non minus placere videtur quam filiae Nausicaae, quae optavit lib. VI. v. 244:

αἲ γὰρ ἐμοὶ τοιόσδε πόσις κεκλημένος εἴη
ἐνθάδε ναιετάων, καί οἱ ἅδοι αὐτόθι μίμνειν·

Ulixe laudato Phaeacas alloquatur v. 339:

τῷ μὴ ἐπειγόμενοι ἀποπέμπετε μηδὲ τὰ δῶρα
οὕτω χρηΐζοντι κολούετε·

Haec verba autem dissentiunt cum lib. VIII. v. 423, ubi Alcinous uxorem dona hospiti colligere jubet et cum v. 433 — 42, ubi Areten imperata effecisse narratur v. 438:

τόφρα δ' ἄρ' Ἀρήτη ξείνῳ περικαλλέα χηλὸν
ἐξέφερεν θαλαμοιο, τίθει δ' ἐνὶ κάλλιμα δῶρα,
ἐσθῆτα χρυσόν τε, τά οἱ Φαίηκες ἔδωκαν.

Nisi articulus „*τὰ*" positus esset, diceremus, Alcinoum etiam majora dona hospiti fuisse daturum, sed *τὰ δῶρα* significant certa dona, quae cuique discedenti hospiti dabantur. Post Echenea, qui reginam laudaverat, Alcinous non respondit ad id, quod Ulixes interrogaverat, sed ut iter in crastinum diem differatur decernit, quod nocte irruente per se liquebat, et Ulixes se iam totum annum apud eum mansurum esse fatetur, quae verba aperte desiderio quam celerrime Ithacam visendi contradicunt. Tum Alcinous se Ulixem impostorem atque fallacem hominem, cujus generis tam multi circumvagentur, non putare pronuntiat, quamquam talem *μορφὴν ἐπέων* habeat, ut facillime hominibus etiam de re falsa persuadere possit eumque hortatur ut jam aliorum historiam narret, quod Ulixes ut est bonus postea facit. Alcinous paene omnia tam mire dicta non credere videtur, id quod certe quoque fecerunt carminum Homericorum auditores, qui Ulixem callidum atque versutum jam ex aliis locis cognoverant. Conjunctio substantivorum *μορφὴ ἐπέων* est offensioni illamque uno alio tantum loco lib. VIII. 170 invenimus:

ἀλλὰ θεὸς μορφὴν ἔπεσι στέφει.

Nec minus vers. 369 offendit:

πάντων τ' Ἀργείων σέο τ' αὐτοῦ κήδεα λυγρά,

nam omnium Argirorum sollicitudines Ulixem omnino narrare non potuisse quisque facile intelliget. Non necessarium est alterum *ἅμα* vers. 371, cui similem locum invenimus Od.

XV. 398. Quum omnia quae de hac interlocutione disputata sunt reputamus, facile nobis persuadebitur, illam esse subditiciam, ad quod demonstrandum jam accedit, quod iisdem versibus 333 — 35 etiam poëta utitur in initio libri XIII. et quod *αὐτάρ* sermonem introducit, qui antecedenti oppositus est et ita statim ad illum locum adjungendus est, quo Ulixes jam de uxoribus loqui noluit. —

§. IX.
De catalogo heroum.

Animabus uxorum dispersis primum Agamemnon Atrides appropinquavit, ex quo Ulixes quomodo mortuus sit quaerit v. 339 — 403, quos versus Aristophanes repudiavit, quia eos ex responsione Agamemnonis promptas esse sensit. De *ἠὲ* quoque disputavit Lehrsius[1]) ita: tertium *ἠὲ* disjunctivum esse intelligitur, quare sic respondetur tamquam ad duplicem interrogationem v. 406:

οὔτε μέ γ' ἐν νήεσσι Ποσειδάων ἐδάμασσεν
οὔτε μ' ἀνάρσιοι ἄνδρες ἐδηλήσαντ' ἐπὶ χέρσου.

At iidem versus paulum immutati recurrunt *ω*, 108 – 113, ubi Agamemnon procos interrogat:

ἦ ὔμμ' ἐν νήεσσι Ποσειδάων ἐδάμασσεν,
ὄρσας ἀργαλέους ἀνέμους καὶ κύματα μακρὰ;
ἦ που ἀνάρσιοι ἄνδρες ἐδηλήσαντ' ἐπὶ χέρσου
v. 112 *βοῦς περιταμνομένους ἠ δ' οἰῶν πώεα καλὰ,*
ἠὲ περὶ πτόλιος μαχεούμενοι ἠδὲ γυναικῶν.

Id certe dilucidum est, aut quaerentis aut respondentis versus esse subditicios, quum Atrida simpliciter se non tali modo mortuum esse dicere potuerit, sed se interfectum esse ab Aegistho *σὺν οὐλομένῃ ἀλόχῳ* conjunctim agente respondere debuerit. Jam Spohnius[2]) animadvertit, inter hos et alios versus esse discrimen, quia Clytaemnestra simul cum Aegistho caedem effecisse videatur, ejusque sententia versibus sequentibus confirmetur, ubi Cassandram a Clytaem-

[1]) Lehrs, Quaestiones epicae p. 56.
[2]) Spohn, de extrema parte Odysseae p. 49 - 56.

nestra occisam esse narratur; nam quum Agamemnonem Aegisthus aggrederetur, facile fieri potuit, ut Cassandra quamvis esset infirma Atridam adjuvare vellet. Illam in conclavi fuisse videmus ex verbis *ἀμφ' ἐμοί* v. 425, quae non significant „propter me," sed „juxta me". Quod quum facere studeret, a Clytaemnestra, quae in conclavi caede polluto erat, necata est. Propter hiatum inter *ἤκουσα* et *ὄπα* Botheus *ἤκουσας* legere voluit. Difficultatem afferunt verba *ποτὶ γαίῃ*, quae quomodo recte explicentur non intelligitur. Hic enim transferenda sunt: in terra jacens, sed nusquam praepositionem *πρός* pro *ἐπί* usurpatam esse invenimus, quare melius legatur: *ποτὶ κείνῃ* ad illam manus elevans. Quid antea Agamemnon queritur, quod uxor ejus oculos non concluserit, affirmare debemus, eum nimium postulasse a duplici homicida, sed etiam quod non erat necessarium cupit, nam ita quoque in Orcum venit. Versum 428 critici merito uncis incluserunt, quia ille v. 427 non explicat, sed id tantum fit versu 429—30; sensus enim est: nihil est uxore terribilius quae conjugi mortem paret. Vers. 435—440 jam Aristophanes Byzantius repudiandos esse putavit iisque addendi sunt v. 440—44; nam illis ejectis quantum discrimen sit inter Clytaemnestram, quae *οὐλομένη, δολόμητις, κυνῶπις* appellatur et inter Penelopen quae *λίην γὰρ πινυτὴ, περίφρων* esse praedicatur, cognosci potest. Ergo v. 444: *ἀλλ' οὐ σοίγ'* ad v. 435 adjungendus est; primum enim Agamemnon Ulixi ne omnia cum uxore communicet suadet, tum autem magnopere laudat et uxorem et filium, qui ut jam in colloquio matris exposui, nondum *μετ' ἀνδρῶν ἀριθμῷ ἵζειν* potest, quia Ulixes, qui Telemachum *ἐπὶ μαζῷ* uxoris reliquerat, tredecim annos a domo aberat, unde sequitur, ut Telemachus pubertatem vix excesserit. Iterum autem verbis v. 455:

κρύβδην μηδ' ἀναφανδὰ, φίλην ἐς πατρίδα γαῖαν
νῆα κατισχέμεναι · ἐπεὶ οὐκέτι πιστὰ γυναιξίν.

suspicionem in Penelopen concitat, quod cur fiat non potest perspici, quum Ulixi nihil mali ab Uxore fore jam antea dixerit. Mirum quoque videtur quod Agamemnon quaerit v. 458:

εἴ που ἔτι ζώοντος ἀκούετε παιδὸς ἐμοῖο,

quae verba aut significant: nonne audivistis, num filius meus vivat aut Orchomeni aut Pyli aut Spartae apud Menelaum, et sic experiri vult, qua in regione Orestes versetur, quod Ulixes scire non poterat, aut habent eum sensum: audistisne filium meum jam vivere? Et Ulixes quoque eum ita quaesivisse putavit; nam respondit v. 464: equidem nescio, utrum vivat an mortuus sit. Sin Agamemnon ita interrogavit, id ineptum esse quisque statim videat; nam ipse in Orco erat et quis ibi esset scire potuit, postremo sibi ipse respondit v. 461:

οὐ γάρ πω τέθνηκεν ἐπὶ χθονὶ δῖος Ὀρέστης.

Ulixes ergo, hoc colloquium inutile esse ratus interrumpit sermonem et quid sentiat liquet ex verbis:

κακὸν δ' ἀνεμώλια βάζειν.

Tum v. 467 Achilles cum Patroclo et Antilocho accedit, qui audaciam Ulixis, quod in Orcum descenderat, admiratur et quaerit, quo consilio ductus id fecerit. Ad quod Ulixes causam itineris explanat, et tum ne Achillem poeniteat quod in Orco sit ita eum consolatur v. 484:

πρὶν μὲν γάρ σε ζωὸν ἐτίομεν ἶσα θεοῖσιν
Ἀργεῖοι, νῦν αὖτε μέγα κρατέεις νεκύεσσιν
ἐνθάδ ἐών . τῷ μήτι θανὼν ἀκαχίζευ, Ἀχιλλεῦ.

Sed Achilles tantum aberat ut Ulixi assentiretur ut potius responderet v. 489:

βουλοίμην κ' ἐπάρουρος ἐὼν θητευέμεν ἄλλῳ
ἀνδρὶ παρ' ἀκλήρῳ, ᾧ μὴ βίοτος πολὺς εἴη,
ἢ πᾶσιν νεκύεσσι καταφθιμένοισιν ἀνάσσειν.

Ista verba non sunt apta viro Graecorum fortissimo, qui et ipse gloriatur v. 500:

πέφνον λαὸν ἄριστον, ἀμύμων Ἀργείοισιν

et qui mortem vitae ingloriosae praetulit Il. IX. 413:

εἰ μέν κ' αὖθι μένων Τρώων πόλιν ἀμφιμάχωμαι,
ὤλετο μέν μοι νόστος, ἀτὰρ κλέος ἄφθιτον ἔσται.

Mirum videtur quod Achilles v. 492 quaerit, num Neoptolemus aliis pugnantibus praestiterit et num Peleus in Hellade et Pythia habeat honorem, quamquam Ulixes jam dixerat v. 481:

οὐ γάρ πω σχεδὸν ἦλθον Ἀχαιΐδος,

id quod Achilles jam oblitus est. Ulixes respondit, se nihil de Peleo compertum habere, Neoptolemum autem ab Scyro prope Trojam adductum fuisse, ubi omnibus ita praestiterit, ut ab Ulixe et Nestore tantum pugna et consilio vinceretur eumque incolumen nec percussum domum rediisse. De verbo *βάλλειν* id tantum repetam, quod Lehrsius[1]) jam uberius exposuit: „*βάλλειν τινά* non significat apud Homerum „petere aliquem," sed „percutere". Duplex vocabuli *βάλλειν* perf. pass. est: *βέβλημαι* et *βεβόλημαι*: illo de corpore, hoc de animo laeso Homerus utitur". Neoptolemus hoc loco jam pugnandi peritus fuisse praedicatur, quum et Eurypylum interfecerit et in equo ligneo fuerit. Sed huic Ulixis narrationi obstant ipsa verba Achillis, qui filium suum Scyri educari dixit Il. XIX. vers. 326:

ἠὲ τὸν, ὃς Σκύρῳ μοι ἐνὶ τρέφεται φίλος υἱὸς,

quem ut Patroclus domum Scyro duceret optavit in eodem libro v. 330:

σὲ δέ τε Φθίηνδε νέεσθαι
ὡς ἄν μοι τὸν παῖδα θοῇ ἐνὶ νηί μελαίνῃ
Σκυρόθεν ἐξαγάγοις καὶ οἱ δείξειας ἕκαστα.

Achilles ergo non cogitavit, filium ad bellum arcessi posse, quia bello finito fore ut statim in patriam reduceretur speravit. Sed etiam id obscurum est, num Achilles omnino filium habere potuerit; nam quamquam Il. IX. v. 168 *Σκῦρον ἑλὼν αἰπεῖαν* dicitur, tamen tota Iliade illius expeditionis causam non videmus. Huc accedit, quod ex alio loco Il. 438—440:

σοὶ δέ μ' ἔπεμπε γέρων ἱππηλάτα Πηλεὺς
ἤματι τῷ, ὅτε σ' ἐκ Φθίης Ἀγαμέμνονι πέμπε,
νήπιον, οὔπω εἰ δόθ' ὁμοιΐου πολέμοιο
οὐδ' ἀγορέων, ἵνα τ' ἄνδρες ἀριπρεπέες τελέθουσιν,

concludere possumus, Achillem nunquam Scyri fuisse, quia statim ad exercitum Agememnonis missus sit. Quum autem Achilles ita juvenis esset, ut demum ante Trojam studium rei militaris inciperet, illum jam alias terras aggressum et

---

[1]) **Lehrs, de Arist. stud. Hom.**

filium genuisse incredibile est. Qua ratione haec fabula, Neoptolemum fuisse Achillis filium, orta sit, recte vidit Nitzschius,[1]) qui ita argumentatur: „Wenn wir das Wesen der einst webenden Sage richtig fassen, so schuf sie in Neoptolemus für die andern Acte des Kampfes oder mit ihnen einen andern Achill. Der junge Fürst der Doloper von Skyros wurde mehr und mehr Achill's Ebenbild, überkam seine Waffen und wurde endlich sein Sohn".

Versus 525:

ἠμὲν ἀνακλῖναι πυκινὸν λόχον ἠδ' ἐπιθεῖναι

a Wolfio uncis inclusus est, certe quia Eustathius monet illum versum ex Il. V. v. 751 et ex Il. VIII. 395 compositum esse. Postquam Ulixes res a Neoptolemo gloriose gestas enumeravit, Achilles abibat magnis gradibus ingrediens per herbosum pratum. Cum autem pratum asphodelo obsitum, qui omnem famem et sitim depellere putabatur, in Orco ipso esse cogitaretur, Ulixes qui ibi non erat, omnino non potuit contemplari Achillem ingredientem. Post Achillem aliae animae aegritudines suas narrabant, excepto Ajace Telamonio, qui quamvis esset mortuus, Ulixi nondum ignovit, quod ab illo victus esset, quum de armis Achillis controversias agerent, quae per filios Trojanorum dijudicatae esse narrantur v. 527:

παῖδες δὲ Τρώων δίκασαν καὶ Παλλὰς Ἀθήνη.

Hos versus interpolatos esse ratus Aristarchus obelum apposuit ejusque causae esse huc possunt: Incredibile esse a Graecis qui controversias habuerint arcessitos esse Trojanos ad illas dirimendas et constare eos electuros fuisse viros ex suo numero. Tum autem neglecta illa causa quod hi versus non necessarii sunt, Homerus non usus esset: *παῖδες* sed potius *κοῦροι* aut *υἷες*; porro quoque Ulixes Minervam causam interitus Ajacis fuisse non dixisset. Ulixi, qui frustra Ajacem placare tentat, ab illo, qui cum aliis animabus in Erebum descendit, non respondetur.

---

[1]) **Nitzsch, l. c. III. 289.**

§. X.

De heroibus in Orco cruciatis.

Scholiasta majorem interpolationem h. e. interpolationem in interpolatione coepisse voluit a v. 568 usque ad vers. 627. Lehrsius,[1]) cui et Nitzschius assentitur, hic duplicem recensionem esse ratus ita argumentatur: „λ, 565 nihil obstat quominus inter seriem spuriorum fuerit. Etenim circa hunc versum longam versuum seriem pro spuria habitam scimus; in quo atheteseos initium fuerit, ex codd. perspici nequit: quare nihil impedit quominus jam h. v. (565) fuisse putemus, non demum v. 567, ut Buttmann statuit: Sed sive hoc vidit Aristarchus sive violentius explicans tenuit ὁμῶς, ut scholiasta, certe quin vere spurii sint 565—67 nemo dubitare debet. Duplex venit in textum hujus loci recensio, ut factum et ab Ar. intellectum Od. d. 280—290. Hoc loco altera recensio fuit 541—564, altera 541—546, quibus statim annexi 565—567". Sed utcunque haec se habent, id constat, hac in parte tales opiniones proferri, quae demum erant posteriorum temporum. Statim nobis hunc locum legentibus id est suspectum, quod Ulixes se illos viros vidisse dicit alios id facientes, quod viventes fecerint, ut Minoem, Orionem, Herculem, alios etiam cruciatos propter scelera ab illis viris perpetrata, ut Tityum, Tantalum, Sisyphum. Ulixes enim Circa jubente X. 509 ad nemus Proserpinae navem appulerat ibique mortuos citavit; ergo non in Erebum, qui sub terra jacebat, descendit, quia tum Orcum descripsisset. Ad nostram sententiam confirmandam versum 628: αὐτὰρ ἐγὼν αὐτοῦ μένον ἔμπεδον afferre possumus, ut non minus v. 636, ubi socii navem ascendere jubentur et ubi Ulixem ex Erebo in lucem venisse non commemoratur. Sed etiamsi Ulixem illos viros, qui id quod in vita fecerant videre potuisse concedamus, quomodo tandem viros crucitatos conspicere potuit? An existimandum est, Tityum cum vulneribus, Tantalum cum lacu atque arboribus, Sisyphum cum

[1]) Lehrs, l. c. p. 159.

ingenti lapide in lucem venisse, ut Ulixi qua ratione cruciarentur ostenderent? Id non solum ineptum est, sed etiam contradicit opinioni veterum Graecorum qui, ut jam supra ostendi, summum malum mortem esse putarunt. Primum vidit Ulixes Minoem mortuis jus dicentem et Orionem, qui per pratum asphodelo obsitum animalia persequitur eaque in montibus interficit. Montes autem in Orco fuisse nemo putabat; nam ibi pratum tantum esse cogitabatur, in quo asphodelus vigebat, quem mortui edebant. Tum aspexit Tityum, filium Gaeae, qui quod Latonae vim attulerat, a Jove ipso punitus est, ut describitur v. 577—78:

ὁ δ' ἐπ' ἐννέα κεῖτο πέλεθρα
γῦπε δέ μιν ἑκάτερθε παρημένω ἧπαρ ἔκειρον.

Is ergo eandem poenam sustinuit ac Prometheus, cui ab aquila jecur, quod semper denuo crescebat, erosum est. Tantalus autem, convictor deorum, qui cum mortalibus ambrosiam et nectar communicavit, ita punitus esse dicitur vers. 582:

ἑστάοτ' ἐν λίμνῃ· ἡ δὲ προσέπλαζε γενείῳ·
στεῦτο δὲ διψάων, πιέειν δ' οὐκ εἶχεν ἑλέσθαι.

Sisyphus, filius Aeoli, conditor et rex Corinthi, ut ait Pherecydes, poenam subiit, quia Jovem, qui virginem Aeginam raptam per Corinthum duxit, patri Asopo prodidit. Alii eum cum Jove ipso habuisse litem dicunt, sed in eo animus humanus omnia petens punitus esse videtur, ut in Tityo ὕβρις voluptatis et in Tantalo luxuria cruciatae sunt. Ab omnibus his viris, quos adhuc cognovimus, valde differt Hercules, qui non tristis formae speciem prae se fert, sed decoratus summo ornamento ante oculos producitur. Praecipue ea opinio offendit, qua ita celebratur v. 602:

αὐτὸς δὲ μετ' ἀθανάτοισι θεοῖσι
τέρπεται ἐν θαλίῃς καὶ ἔχει καλλίσφυρον Ἥβην.

Homerus enim nondum novit eam opinionem, viros mortales in numero deorum reponi. Si autem id factum est, tum corporibus humanis non privabantur, quod Herculi accidit, qui in πυρᾷ combustus est. Sententia eorum, qui quod in eo erat humani esse combustum, divinam autem partim purgatam tantum esse dicunt, non potest probari.

Ex eo quod Heben uxorem duxit, quae in Iliade virgo esse celebratur nec minus ex eo, quod Herculem in numerum deorum referri Ilias nusquam meminit, hos versus subditicios esse facile perspicimus. Nostra sententia etiam testimonio Aristarchi confirmatur, qui iisdem argumentis ad hos versus rejiciendos utitur, quae quamquam jam de iis disputavi, breviter repetam. Ille ita argumentatur: Hos versus esse interpolatos 1. quia Homerus in Iliade Herculem morientem faciat itaque ejus immortalitatem non noverit, 2. quia poetae hominum corpus in tres partes in *εἴδωλον*, *ψυχὴν*, *σῶμα* dividi non notum sit, 3. quia Hebe in Iliade virgo sit, 4. quia armatura Herculis mirabilis videatur. Versum 612 etiam apud Hesiodum Theog. 228 invenimus. Etiamsi concedamus, *εἴδωλον* tantum, non *ψυχὴν* in Orco fuisse, quomodo fieri potuerit, ut Hercules loqui posset non intelligitur. Sed etiam versus 615—27, qui eo tantum consilio adjuncti sunt, ut Ulixes qui non jam quidquam respondit loquendi occasionem haberet, eam ob causam sunt suspecti, quia postremo heroes commemorati non ipsi loquuntur, Hercules unus tantum quid sibi acciderit narrat et tum responsione non exspectata in Orcum revertitur. Ulixes nondum abiit, sed ut aut Thesea aut Pirithoum videret cupivit, sed magno mortuorum clamore orto auffugit. Versum 631 interpolatum esse non modo quisque facile videt, sed etiam habemus testimonium Hereae apud Plutarchum, qui jubente Pisistrato ab Onomacrito id factum esse memoriae prodidit, ut Atheniensibus blandiretur, qui certe heroëm suae gentis jam ab Homero celebratum esse gaudebant et nobili superbia efferebantur. Quum autem jam antea intellexerimus, Od. XI. v. 320—34 interpolatos esse, non minus Il. III. 144 et I. 265 ab optimis criticis repudientur, nullum locum apud Homerum invenimus, quo Theseus, qui postea demum heros factus est, commemoratus sit. Ulixes ergo, qui mortuos videre iam noluit, ascendit navem et rediit ad Circen re infecta; nam id quod voluit non assecutus erat. —

Denique quum omnia quae de hoc libro disputavi respicio, concedendum est, tam multas discrepantias nobis occurrisse, ut si non totum librum, tamen plurimos locos interpolatos esse certissimis causis a me probatum esse putem. De nonnullis quidem locis uberius agi potuit, sed quum non licuerit omnes libros qui hac de re scripti sunt perlegere, spero fore ut quam proxime omnibus causis quae *Νεκυίαν* aut defendere aut suspectam reddere videntur perlustratis, meam sententiam gravioribus argumentis confirmatam atque corroboratam in lucem edam. —

